



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Baldvini Cabilliavi E Soc. Iesv Magdalena**

**Cabilliau, Baudouin**

**Antwerpen, 1625**

Elegia XVIII. Conuitium Simonis.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-70461](#)

## ELEGIA XVIII.

*Connitum Simonis.*

**O** BSEQVIO maturus Amor venatur IESVM  
Saxa per & valles, cōpita, templa, domos;  
Et tandem reperit (epulo sedet ille) Tonantem;  
Huc ruit, & vincitas subruit arte fores.  
Fit fragor: irrumpt thalamum, dotalia C<sup>R</sup>I<sup>S</sup>T<sup>O</sup>  
Dona ferens festā cum face pulcher Hymen.  
Euge, tuum Simon, nolēnsve volēnsve, liquenti  
Cum casiā spectas Magdalīn ante torum.  
Nec tantūm spectas, sed liuide Scriba malignis  
Obliquas oculis nardina mista croco.  
**O** quoties dicis: Quò, quò temeraria tantum  
Tun' seclus ausa? meas sic violare dapes?  
**C**æca satīn' sapis ô! malè prouida ad oscula

C<sup>R</sup>I<sup>S</sup>T<sup>I</sup>

Ibis inornatis his pida vt vrsa comis?  
Non tenui vittā fauentes vincita capillos,  
Non retinens nudis flammea casta genis?  
Non Tyrios (prō quale nefas!) induita paratus?  
Nec Salue vlla sōnas, nemo reponet Aue.  
Ocyma dira serent concordi hinc inde cachinno,  
Quotquot Idumæo decubuere toro.  
Nil nisi singultus suspiriaque ægra resorbens,  
Incestas tragicis orgia festa modis.  
Num benè lœta grauis violat conuiua fletus?  
Irumpitque procax non sua regna dolor?  
Quid Baccho, & lacrymis? an habent & gaudia  
fletus?  
Hospes abi, & lymphas ebibe sola tuas.

ELE.



## ELEGIA XIX.

MAGDALENA CHRISTO mittit  
epistolam.

**M**ITTIT amans ceras, sed quas, heu! mortis  
ad vnam  
Pulueream tristi puluere spargit Amor.  
Orbus Amor, duri quem vis grauat aspra doloris,  
Fraternusque graui torret ab igne cinis:  
Et qui fulmineis ceu fax è nubibus ignem  
Haurit, vt inde vomat, quas bibit imber aquas.  
O sit fas auidis oculis libare querelas,  
Quas muto gemitu scripturit æger Amor!  
An nigra ceratis inserpit sephia sulcis,  
Intingitve fauo suaue-liqueente stilum?  
Artifici an tabulis instillas rore Lycaum,  
Mellitæve bibunt dulcia sensa notæ?  
Cernere an est roseo florere pugillar in ostro,  
Aureave ostrifero scripta micare libro?  
Inspexi facili facundas imbre tabellas.  
Hei mihi ! de lacrymis omnia vota natant?  
Luctifer inde latex cerâ num cerite noxas,  
Et vetus opprobrium denuò mæror arat?  
Carnificesque trahens ægro sub pectore curas,  
Quæ pudor erubuit probra tulisse, feret?  
Sit piguisse semel satis & super: una ruboris.  
Lex satis est, rursum nolle pigenda sequi.  
Cur igitur pluvio dolor exprimit ore querelas,  
Mœstaque de mœsto pectore vota fluunt?  
Heu! tibi tot falso qui dictat ab imbre lituras,  
Ille iacens gelido maxmōre, frater erat.

Hoc

